



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 133. Vtrum actus fidei obscurus possit coniungi cum actu euidenti circa idem obiectum materiale totale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

Actus non potest affirmare existere totum, quin affirmet existere omnes partes talis totius. Ratio est, quia licet ponere totum non sit ponere omnes partes illius, sed sit ponere, vel omnes, vel partem, quæ deest, tamen existere totum est existere omnes partes illius, puta existere statuum, est existere omnes partes statuum; sed affirmatio totius nihil aliud est, quam quædam existentia intentionalis, per quam totum existit in mente, proportionaliter, ac existat à parte rei; ergo affirmari totum est affirmari omnes partes ipsius. Hinc patet disparitas actus affirmantis ab actu volente. Affirmatio enim est existentia intentionalis obiecti affirmati; volitio non est existentia, sed est positio intentionalis obiecti voliti; sed totum existere est existere omnes eius partes, totum poni non est poni omnes eius partes, sed vel poni omnes, vel poni partem, quæ deest; ergo affirmare totum est affirmare omnes eius partes, & omnia constitutiva; velle totum non est velle omnes eius partes, sed vel velle omnes, vel suppositis alijs, velle partem, quæ deest, & per quam res ultimo constituitur.

9. Infertur primò, quod credere totum propter solam auctoritatem Dei reuelantis, est affirmare omnes partes totius, non seorsim, sed simul, propter solam auctoritatem Dei reuelantis. Ratio est, quia affirmare totum est affirmare omnes partes totius; sed credere est formaliter affirmare; ergo credere totum est affirmare omnes partes totius; ergo cum per fidem credimus Deum esse trinum, & vnum propter solam auctoritatem Dei reuelantis, credimus propter solam auctoritatem Dei reuelantis, non solum partem obscuram, sed etiam partem euidens, nimirum quod Deus sit vnus, licet partem euidens non credamus seorsim, sed prout inclusam in toto obscuro.

10. Infertur secundò, quod sicut totum non existere, non est nullam eius partem existere, sed est vel nullam, vel aliquam partem non existere, eo pacto, quo statua potest non existere per hoc, quod licet existat marmor, non existat figura, sic negare totum non est negare omnes eius partes copulatiuè, sed est diiunctiuè negare, vel omnes, vel aliquam; e.g. cum nego dari statuum, dico vel nullam dari partem statuum, vel si aliquæ dantur, aliquam partem non dari. Licet ergò fidelis, cum affirmat Deum esse trinum, & vnum, non solum affirmet Deum esse trinum, quod est obscurum, sed etiam Deum esse vnum, quod est euidens, tamen cum infidelis negat Deum esse trinum, & vnum, non est necesse, vt neget Deum esse vnum, quod est euidens, sed sufficit, vt neget Deum esse trinum, quod est obscurum.

11. Ad argumentum in contrarium nego maiorem. Vt enim explicabitur quæstione sequenti, per fidem non possumus credere obiectum totaliter euidens, quia obiectum

totaliter euidens est euidens simpliciter, ita vt conuincat intellectum, eumque necessitet ad assentiendum sine vlla dubitatione, & formidine; sed obiectum solum partialiter euidens simpliciter est obscurum, ita vt non conuincat intellectum, neque necessitet ad assentiendum sine vlla dubitatione, atque formidine; ergo obiectum solum partialiter euidens potest credi per fidem.

QVÆSTIO CXXXIII.

Virum actus fidei obscurus possit coniungi cum actu euidenti circa idem obiectum materiale totale?

1. **V**ideretur, quod possit, vt docent Halensis, Albertus Magnus, S. Bonaventura, Altissiodorensis, Durandus, & Gabriel, quos ex nostris referunt, & sequuntur Valentia 2. 2. disp. 1. puncto 4. sect. 5. Suarez de fide disp. 3. sect. 9. num. 5. Cardinalis de Lugo de fide disp. 2. sect. 2. num. 38. & plures alij; primò quia habitus fidei obscurus potest coniungi cum habitu euidenti circa idem obiectum materiale totale; e.g. habitus credendi obscure Deum esse, potest coniungi cum habitu cognoscendi euidenter Deum esse; ergo etiam actus fidei obscurus potest coniungi cum actu euidenti circa idem obiectum materiale totale.

2. Secundò vel actus obscurus, & actus euidens circa idem obiectum materiale, puta circa existentiam Dei, repugnant, quia alter est euidens, alter obscurus; vel quia alter est necessarius, alter liber; vel quia alter quietat intellectum, & est perfecta possessio veritatis cognitæ, alter non quietat, & non est perfecta possessio veritatis cognitæ; nullum ex his dici potest; ergo &c. Probatur prima pars minoris; nam actus clarus, & obscurus circa idem obiectum non possunt quidem identificari, sed possunt simul esse in eodem intellectu, eo pacto, quo cognitio obscura, & definitiua non potest identificari cum cognitione clara, & definitiua eiusdem obiecti, sed possunt simul esse in eodem intellectu. Probatur secunda pars; nam actus necessarius, & liber circa idem obiectum non possunt identificari, sed possunt simul esse in eodem subiecto, ac de facto Christus simul habuit amorem beatificum, quo amavit Deum necessario, & alium amorem, quo Deum amavit liberè. Probatur tertia pars; nam actus quietans, & non quietans non possunt identificari, sed possunt coniungi in eodem subiecto, ac de facto beati simul amant Deum, tum amore concupiscentiæ, tum amore amicitiaë strictè sumptæ, tum amore perfectissimi gaudij, ex quibus actibus solus vltimus quietat beatum, & est perfecta possessio finis vltimi duo

duo primi non quietant, & non sunt perfecta possessio finis ultimi.

3. Tertio si ea, quæ lumine naturæ sunt evidentia, non possent credi fide diuina, non exigua pars doctrinæ, quæ continetur in sacra Scriptura, & præsertim in libris sapientialibus, nimirum in Prouerbijs, Ecclesiaste, Ecclesiastico, Psalmis &c. non posset credi fide diuina, quod est absurdum. Probatur sequela: nam libri Scripturæ, præsertim sapientiales pleni sunt sententijs lumine naturæ evidentibus, quales sunt Prouerb. 15. *Responsio mollis frangit iram*: Ecclesiastici 19. *Qui cito credit, leuis est corde*; Matthæi 6. *nemo potest duobus dominis seruire*; 1. ad Corinth. 6. *non est societas lucis ad tenebras* &c. Confirmatur, nam Sancti Patres, dum conati sunt autoritate diuina persuadere tales veritates evidentes, fuissent stultissimi, cum veritates evidentes credi non possint propter diuinam autoritatem.

4. Quarto ex S. Thoma 1. 2. quæst. 67, art. 3. in corpore, & 3. parte, quæst. 9. art. 3. ad 1. & in 3. dist. 21. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 4. & alibi, possunt simul in eodem intellectu coniungi actus opinionis inevidens, & actus scientiæ euidens circa idem obiectum materiale; ergo possunt etiam coniungi actus fidei inevidens, & actus scientiæ euidens circa idem obiectum materiale.

5. Quinto fidelis, cum per demonstrationem cognoscit euidenter animam esse immortalem, per fidem etiam cognoscit Deum reuelasse immortalitatem animæ, & hanc reuelationem esse essentialiter connexam cum veritate sui obiecti, hoc est cum immortalitate animæ; sed cognoscere Deum reuelasse immortalitatem animæ reuelatione essentialiter connexa cum immortalitate animæ, est credere immortalitatem animæ propter diuinam reuelationem essentialiter connexam, cum animæ immortalitate; ergo fidelis simul cognoscit euidenter immortalitatem animæ, & illam credit obscure propter diuinam autoritatem, & reuelationem.

6. Sexto ex S. Thoma 3. parte, quæst. 9. art. 4. Christus quædam obiecta debet cognoscere, non solum per scientiam beatam, & infusam, sed etiam per scientiam acquisitam, & experimentalem dependentem à sensibus, & à phantasmatibus, quia cum anima Christi habeat respectum, non solum ad superiora, sed etiam ad inferiora, hoc est ad sensibilia, non solum debet habere scientiam, qua cognoscat obiecta per superiora, sed etiam scientiam, qua eadem obiecta cognoscat per inferiora, & sensibilia; sed hæc ratio ostendit, quod non solum debemus cognoscere quædam obiecta per superiora, hoc est per diuinam reuelationem, sed etiam per inferiora, hoc est per scientiam naturalem dependentem à sensibus, & à phantasmatibus; ergo &c. Confirmatur: nam scientia acquisita, & non comprehensua, qua Christus cognoscit quædam obiecta dependentem à sensibus, & phan-

tasmatibus, comparatur cum scientia comprehensua, ac beata, qua eadem obiecta cognoscit in diuina essentia, vt cognitio obiecta ad claram, & tamen istæ duæ scientiæ coniunguntur in Christo; ergo licet actus fidei comparatus cum actu scientiæ sit obscurus, tamen potest coniungi in eodem intellectu cum actu scientiæ.

7. Septimo ex Apostolo ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quod Deus est, & querentibus se remunerator est*; sed hæc sunt lumine naturæ evidentia; ergo etiam quæ sunt evidentia credi possunt, ac debent. Nec dicas sapientes, ac doctos, qui habent de his evidentiam, non posse hæc credere: nam sequeretur, quod de diuina existentia certiores essent simplices, & indocti, quam sapientes, ac docti. Simpliciter enim, & indocti de diuina existentia certi sunt certitudine fidei, sapientes, ac docti sola certitudine scientiæ, sed certitudo fidei maior est certitudine scientiæ, vt dictum est supra, & probabitur, inferius qu. 138. Ergo &c.

8. Octauo sequeretur, quod Paulus post raptum, in quo, vt ex Augustino docet S. Thomas 1. 2. quæst. 75. art. 3. vidit diuinam essentiam, non potuisset quidquam credere, siquidem retinebat memoria euidentiam eorum, quæ viderat.

9. Respondeo cum S. Thoma 1. 2. quæst. 1. art. 4. & 5. & Scoto in 3. quæst. 1. quæst. præter Thomistas, & Scotistas sequuntur etiam Richardus, Gabriel, & ex nostris P. Molina, P. Sparza quæst. 25. & alij: non potest intellectus, cum de aliquo obiecto habet euidentiam, qua conuincitur, & necessitate ad assentiendum tali obiecto sine ulla dubitatione, & formidine, idem obiectum secundum eandem rationem formalem obiecti credere, propter diuinam autoritatem, & testimonium.

10. Probatur primo; nam testimonia neque possunt prudenter adhiberi ad persuadenda ea, quæ videntur, neque potest aliquis prudenter vti testimonijs ad credenda ea, quæ videt; sed vt credamus, & Deus debet adhibere suum testimonium ad persuadenda ea, quæ credimus, & nos debemus vti diuino testimonio ad credenda ea, quæ Deustestatur; ergo non possumus credere quæ videmus, siue euidenter cognoscimus. Probatur maior: nam si quis, dum video templum S. Petri, afferret testimonia ad persuadendum mihi dari templum S. Petri, irrideret vt infans, & similiter censeretur infans, qui videns templum S. Petri, sineret sibi testimonijs adductis persuaderi dari templum S. Petri; sicut ridendus etiam esset, qui adhiberet testimonia ad persuadendum mihi, quod quatuor, & tria faciunt septem. Ratio à priori est, quia natura testimonij alieni est, vt adhibeatur in defectum visionis propriæ. Cum enim non possimus omnia videre per nos ipsos, ponuntur testimonia, vt dum credimus, videamus quodammodo per alios ea, quæ

quæ non videmus per nos ipsos; ergo cum aliquam veritatem videmus per nos ipsos, hoc est evidenter illam cognoscimus, vel in se ipsa, vel in aliquo medio essentialiter con- nexo cum tali veritate, non possumus illam videre per alios, credendo propter testimo- nium aliorum. Confirmatur: nam quia De- us omnia videt per se ipsum, nihil potest credere propter testimonium aliorum; ergo etiam intellectus creatus, dum veritatem ali- quam videt per se ipsum, non potest illam cre- dere propter testimonium aliorum.

11. Probatur secundò authoritate, qua etiam confirmatur allata ratio. Nam Scri- ptura, & Patres, dum agunt de fide, exprimunt hoc prædicatum, ut sit de ijs, quæ non videntur; ergo &c. Probatur antecedens: Aposto- lus enim ad Hebræos 11. fidem definit argu- mentum non apparentium; sed idem est esse argu- mentum non apparentium, ac esse firmam adhæsiorem ijs, quæ non videntur, & non cognoscuntur evidenter, ut explicat S. Tho- mas in commentario eius loci; ergo &c.

12. Respondent aliqui fidem ab Apostolo dici argumentum non apparentium, non in sensu restrictiuo, ita ut significetur fidem esse assensum firmum solis rebus non apparenti- bus, sed in sensu ampliatiuo, ita ut significetur fidem esse assensum firmum, non solis rebus apparentibus, & evidentibus, sed etiam ob- scuris, & inevidentibus, qualia sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis &c.

13. Reijcitur hæc responsio: nam Patres, & interpretes communiter verba Apostoli in- telligunt, non in sensu ampliatiuo, sed restri- ctiuo. Chrysostomus in Commentario illius loci dicit: Proinde neque circa ea, quæ videntur, credulitas, vel incredulitas dici potest; ergo docet fidem ita esse argumentum non apparentium, ut non possit fides, seu credulitas esse eorum, quæ videntur. Athanasius lib. de Salutari Christi aduentu dicit: non fides de re evidenter concepta fides dici potest. Gregorius homil. 26. in Euangel. Apparentia non habent fidem, sed agni- tionem; & proposita quæstione, quo pacto Christus dixerit Thomæ, Quia vidisti me Tho- ma, credidisti, cum fides sit de non apparenti- bus, respondet: Vnum vidit, & aliud credidit; nam vidit hominem, & credidit Deum; & alibi dicit: non est fidei meritum, ubi humana ratio præ- bet experimentum. Augustinus tract. 40. in Ioan. dicit: Quid est fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere, veri- tas quod credidisti videre: & tract. 49. dicit: hæc est enim laus fidei, si quod creditur, non videtur: & paulò post, nescio, utrum credere dicendus est quis- que, qui videt. Nam ipsa fides in epist. quæ legitur ad Hebræos est ita definita: est autem fides speran- darum substantia, convictio rerum, quæ non videntur, ac deinde proposita quæstione de Thoma, cui dictum est, quia vidisti me Thoma, credidisti, dicit: Non hoc credidit, quod vidit, sed aliud vidit, aliud credidit. Vidit enim hominem, credidit Deum; & concludit: Et si dicuntur credi, quæ videntur,

sicut dicit unusquisque se oculis suis credidisse, non tamen ipsa est, quæ in nobis edificatur, fides. Idem in Enchiridio ad Laurentium, cap. 7. cum dixisset verbum credo sæpè accommodari rebus visis, subdit: sed melius hanc appellamus fidem, quam diuina eloquia docuerunt earum rerum, quæ non videntur. Lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 3. di- cit: Cui (idest Scripturæ) fidem adhibemus de ijs rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipsos nosse idonei sumus; & alia addit in eadem sen- tentiam, quæ fufius prosequitur Epist. 112. cap. 2. & sequentibus. S. Prosper etiam libro Sententiarum ex Augustino decerptarum, sententia 350. affert hanc Augustini senten- tiam: Fides semper præuenit visionem. Credimus enim, ut cognoscamus, non cognoscimus, ut creda- mus. Fides ergo est, quod non vides credere; veri- tas, quod credidisti, videre. Patet ergo Patres communiter verba Apostoli, Fides est argu- mentum non apparentium, intellexisse in sensu, non ampliatiuo, sed restrictiuo, ita ut fides dici non possit, quæ credimus quæ videmus, ac proinde opinionem contrariam asseren- tem posse credi, quæ videntur, defendi non posse, nisi inferendo vim Scripturæ, & Pa- tribus.

14. Probatur tertio conclusio: nam repu- gnat, ut intellectus moueatur ad aliquam veritatem, ut non possessam, & eodem tempo- re quiescat in illa ipsa veritate, ut possessa: sed intellectus per fidem obscuram mouetur ad veritatem, quam credit, ut non possessam; per cognitionem euidenter quiescit in veritate, ut possessa, ideoque fides causat deside- rium videndi, visio, seu cognitio euidens causat delectationem de re, ut visa; ergo &c. Confirmatur primò: nam ex Augustino apud Prosperum sententia 350. citata in secunda probatione credimus, ut cognoscamus, non cognoscimus, ut credamus; ergo per fidem mouemur ad cognitionem euidenter, ac proinde dum credimus, non possumus habe- re ipsam cognitionem euidenter, in eaque quiescere. Confirmatur secundò: nam quia voluntas per desiderium mouetur ad bonum, ut non possessum, per gaudium quiescit in bono, ut possesso, non possunt in voluntate simul coniungi desiderium, & gaudium de eodem obiecto materiali; ergo quia intellectus per fidem mouetur ad veritatem, ut non pos- sessam, per cognitionem, & visionem eui- dentem quiescit in veritate, ut possessa, non possunt coniungi fides, & cognitio euidens in eodem intellectu.

15. Probatur quartò: nam si fides coniun- geretur cum euidencia, prius natura obiectum videremus euidenter, deinde illud credere- mus obscure; sed hoc est impossibile; ergo &c. Probatur sequela: nam cum fides sit li- bera, & prudens, antequam liberè credamus, consideramus, vtrum obiectum sit pruden- ter credibile; sed vt iudicium formemus de prudenti credibilitate obiecti, debemus confi- derare omnia motiua, quibus obiectum po- test

test suaderi; ergo si habemus motiuum euidenter probans obiectum, iam propter tale motiuum, antequam credamus, euidenter cognoscimus obiectum, adeoque cognitio euidens precedit natura actum fidei obscurum.

16. Probatur iam minor: nam qui de obiecto iam in priori natura habet euidentiam, non potest sibi circa idem obiectum imperare, & dependenter à tali imperio elicere assensum obscurum. Ratio est, quia supposito, quod obiectum iam appareat euidenter, per nullum actum posteriorem natura possumus tendere in idem obiectum, præscindendo ab hac euidentia, eo pacto, quo posito, quod paries sit illuminatus lumine solari, repugnat, ut videamus illum, & non ut illuminatum lumine solari; sed ut assensus consequens actum euidentem esset obscurus, deberet præscindere ab euidentia; ergo &c. Confirmatur: nam ex se apparet nugatorius actus, quo quis videns aliquod obiectum esse euidens, dicat: *volo assentiri huic obiecto obscure, abstrahendo ab euidentia, quam de illo habeo.*

17. Probatur quinto: nam certitudo fidei obscuræ debet fundari, non in euidentia obiecti, sed in imperio voluntatis, & in diuino testimonio obscure proposito; sed si dum elicimus actum fidei, haberemus euidentiam de obiecto materiali, certitudo fidei de tali obiecto fundaretur etiam in euidentia; ergo &c. Probatur minor: nam certitudo assensus fundatur in eo, propter quod assentimur sine vlla dubitatione, & formidine; sed cum habemus euidentiam de obiecto, propter ipsam euidentiam assentimur obiecto sine vlla dubitatione, & formidine; ergo &c. Probatur minor: euidentia enim est causa exclusiua formidinis ab omni actu, quem circa obiectum euidens elicimus, cum habemus talem euidentiam; ergo euidentia est causa exclusiua formidinis ab assensu fidei, si eliciatur ab habente euidentiam; ergo si assensus fidei elicitur ab habente euidentiam de obiecto, eo ipso certitudo assensus fidei fundatur etiam in euidentia.

18. Confirmatur: nam ad actum fidei obscurum requiritur, ut intellectus liberè non dubitet de veritate obiecti; sed cum habemus euidentiam, non possumus liberè non dubitare; ergo &c. Probatur minor: ut enim liberè non dubitemus, debemus habere potentiam proximam dubitandi; sed euidentia excludit potentiam proximam dubitandi; ergo &c.

19. Infertur solam euidentiam propriam, quæ nimirum excludit potentiam dubitandi de obiecto, esse inconiungibilem cum actu fidei; euidentiam autem impropriad, quæ non excludit potentiam dubitandi de obiecto, non esse inconiungibilem cum actu fidei, ut patet ex omnibus rationibus allatis. Cum enim possumus de obiecto saltem impruden-

ter dubitare, possumus prudenter niti testimonio Dei ad excludendam omnem dubitationem. E conuerso cum de obiecto neque imprudenter dubitare possumus, non possumus niti testimonio Dei. Ideo Gregorius Nissenus lib. de anima, & resurrectione dicit: *fides sustentaculum, & fundamentum est incertitudinis earum rerum, quæ sperantur*: quia nimirum ad fidem obscuram, de qua hic loquimur, requiritur, ut ea, quæ credimus, & speramus, sint aliquo pacto incerta, ita ut de illis saltem imprudenter dubitare possimus; ergo cum obiecta apparent ita euidenter, ut de illis neque imprudenter dubitare possumus, non possumus illa credere, neque sperare. Confirmatur: nam quia beati non possunt dubitare de futura corporum resurrectione, non possunt illam sperare, adeoque spes non datur in beatis; ergo ex proportionali ratione, non possumus credere obiecta ita euidentia, ut de illis neque imprudenter possumus dubitare.

20. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ex eo, quod duo habitus possint coniungi, non infertur eorum actus posse coniungi; & proportionaliter ex eo, quod duo actus non possint coniungi, non infertur eorum habitus non posse coniungi; ex. gr. licet possint in aliquo coniungi habitus ludendi, & studendi, non possunt coniungi actus ludendi, & studendi; ergo in casu nostro licet habitus credendi Deum esse remuneratorem, possit coniungi cum actu euidenter cognoscendi Deum esse remuneratorem, tamen actus fidei, quo obscure credatur Deum esse remuneratorem, non potest coniungi cum actu, quo euidenter cognoscatur Deum esse remuneratorem. Habitus igitur fidei potest coniungi cum habitu, & etiam cum actu scientiæ circa idem obiectum materiale: habitus scientiæ potest coniungi cum habitu, & etiam cum actu fidei circa idem obiectum materiale: at actus fidei, & scientiæ de eodem obiecto materiali coniungi nequeunt, ac proinde datur coniungibilitas habitus cum habitu, & habitus cum actu, sed non datur coniungibilitas actus cum actu. Adde, quod si quis circa aliquod obiectum præditus esset tali habitu scientiæ, ut non posset de illo obiecto cogitare, quin saltem propter aliqualem memoriam demonstrationis haberet euidentiam, ex vi cuius non posset dubitare de obiecto: tali habitui coniungi nequiret actus fidei; ita in hoc sensu intelligendus est S. Thomas, dum negat etiam habitum scientiæ coniungi posse eum actu fidei. Loquitur enim de habitu, et vi cuius non possumus cogitare de obiecto, quin de eo habeamus actualem euidentiam, qualis est, quo ex. gr. cognoscimus, quatuor & tria facere septem.

21. Ad 2. transeat maior, & nego minorem, ac dico actum fidei ex omnibus tribus allatis capitibus benè explicatis esse inconiungibilem cum actu scientiæ. Primò ergo

actus fidei est impossibilis cum actu scientiæ, quia actus fidei est obscurus obscuritate, quæ à natura admittitur solum in supplementum evidentia conuincentis, vt explicatum est in prima probatione conclusionis: actus autem scientiæ est euidens euidencia conuincente. Hinc patet disparitas ad paritatem actus definitiui, & definibilis. Actus enim definibilis est obscurus obscuritate, quæ non est supplementum actus definitiui, sed est explicabilis per actum definitiuum; ergo actus definibilis potest coniungi cum actu definitiuo: at actus fidei est obscurus obscuritate, quæ admittitur solum in supplementum evidentia. Secundo actus fidei est impossibilis cum actu scientiæ, quia actus fidei est liber libertate fundata in hoc, quod non videatur veritas obiecti crediti; actus scientiæ est necessarius necessitate fundata in hoc, quod videatur veritas obiecti crediti, vt explicatum est in quinta probatione conclusionis; sed repugnat, vt eadem veritas pro eodem instanti videatur, & non videatur; ergo &c. Ad paritatem ex eo, quod Christus habeat simul amorem necessarium, & liberum, respondeo primò, negando antecedens, & retorquendo argumentum. In Christo enim communiter ponitur solus amor Dei necessarius, non autem liber; ergo non potest intellectus eadem obiecto assentiri per actum scientiæ necessarium, & per actum fidei liberum. Probo consequentiam: ideò enim in Christo ponitur solus amor necessarius, quia amor Christi videtur summum bonum in se ipso, ad amorem autem liberum requiritur, vt summum bonum non videatur in se ipso; sed fides libera quoad substantiam assensus fundatur in hoc, quod non videatur veritas obiecti affirmati, assensus necessarius fundatur in hoc, quod videatur talis veritas; ergo &c. Respondeo secundo, transeat antecedens, & nego consequentiam, ac retorqueo argumentum. Nam licet in Christi voluntate ponatur simul amor Dei necessarius, & liber, tamen in Christi intellectu non ponitur ex. gr. simul visio clara, & necessaria Trinitatis, & eiusdem Trinitatis fides obscura; ergo signum est, quod licet actus amoris liber esset coniungibilis cum amore necessario eiusdem obiecti, tamen actus fidei liber esset inconiungibilis cum assensu euidenti, & necessario. Disparitas posset esse, quia assensus fidei liber, & obscurus admittitur à natura solum in supplementum cognitionis euidens: at amor liber non admittitur solum in supplementum, sed propter ipsam suam libertatem talis actus. Tertiò demùm actus fidei est impossibilis cum actu scientiæ, quia per actum scientiæ euidens quietamur in obiecto, vt possessio, per actum fidei obscurum non solum non quietamur, sed etiam mouemur ad obiectum; sed licet possint coniungi actus quietans, & præcisus non quietans, tamen non possunt coniungi

actus, quorum alter sit quies, alter sit motus ad obiectum, leo pacto, quo non possunt coniungi gaudium, & desiderium de eodem obiecto, quia gaudium est quies in obiecto, vt possessio, desiderium est motus intentionalis ad obiectum, vt non possessum, sed possidendum; ergo &c. Ad paritatem ex eo, quod in beatis cum gaudio amicitia quietante coniungatur actus amoris stricti, & amoris concupiscentia non quietantis, dico quod tales actus præcisè non quietant, sed non sunt motus ad obiectum, desiderium autem, & spes, quia non solum non quietant, sed sunt motus ad obiectum desideratum, & speratum, non possunt coniungi cum gaudio; sed actus fidei obscurus est quidam motus ad obiectum; ergo &c. Addo, quod quia amor beatificus fundatur in visione, non datur in beatis amor strictus abstrahens à præsentia, vel absentia obiecti, sed solum datur amor perfectissimi gaudij, vt explicatum est lib. 5. de actib. hum. quæst. 5. num. 27.

22. Ad 3. respondeo, quod vt dicit Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 3. relatus in secunda probatione conclusionis: *Diuina Scriptura fidem adhibemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipsos nosse idonei sumus*; ergo cum Scriptura proponit nobis res ita manifestas, vt statim ac proponuntur, simus idonei illas per nos ipsos euidenter nosse, tales res per fidem non credimus. Confirmatur: nam magister non omnia, quæ tradit discipulis, tradit, vt illa credant propter auctoritatem magistri, sed res manifestissimas tradit, vt illis assentiantur propter se; ergo etiam Deus, cum in Scripturis, vt magister tradit res manifestissimas, puta quod non est societas lucis ad tenebras, tradit, vt illis assentiamur propter se, & non propter diuinum testimonium. Addo, quod licet veritates manifestas seorsim sumptas non possumus credere propter auctoritatem diuinam, tamen veritates complexas obscuras, quæ includunt veritates manifestas, possumus credere propter auctoritatem diuinam: ex. gr. licet non possumus credere seorsim propter auctoritatem Dei hanc propositionem incomplexam manifestissimam, *non est societas lucis ad tenebras*, tamen possumus credere propter diuinam auctoritatem hanc propositionem complexam obscuram, *sicut non est societas lucis ad tenebras, sic non est societas Christi ad Belial*, in qua propositione complexa obscura includitur illa propositio incomplexa euidens, *non est societas lucis ad tenebras*. Quia verò non est manifestum, sed obscurum, quod veritates euidens, quæ continentur in Scripturis, fuerint à Deo reuelatæ, ideò possumus per fidem credere veritates etiam manifestissimas contentas in Scripturis, in quantum continentur in propositionibus complexis, per quas asserimus illas fuisse reuelatas à Deo.

23. Ad 4. nego antecedens. Quæstione enim sequenti ostendam actum scientiæ non

posse coniungi cum actu opinionis circa idem obiectum materiale, & conciliabo quasdam authoritates S. Thomæ, quæ circa hoc punctum videntur contrariæ.

24. Ad 5. nego minorem. Falsum est, quod cognoscere Deum revelasse immortalitatem animæ revelatione essentialiter connexa cum ipsa animæ immortalitate, sit credere, vel affirmare animam esse immortalem, quia Deus id revelavit. Probaturnam Deus, & beati affirmant Deum revelasse immortalitatem animæ revelatione essentialiter connexa cum ipsa animæ immortalitate, & tamen Deus, & beati non credunt, nec affirmant animam esse immortalem, quia Deus id revelavit. Confirmatur; nam potest aliquis cognoscere, & affirmare Deum aliquid revelasse revelatione essentialiter connexa cura obiecto à se cognito, & affirmato, non propter ipsam revelationem, sed aliunde, ac de facto Deus, & beati cognoscunt Deum revelasse mysteria Trinitatis, Incarnationis &c. per revelationes essentialiter connexas cum talibus mysterijs ab ipsis cognitis, & affirmatis, non propter revelationem, sed aliunde, hoc est per claram visionem, qua vident mysteria in Verbo, & in divina essentia; ergo potest aliquis cognoscere, & affirmare dari revelationem essentialiter connexam cum aliqua veritate, absque eo quod talem veritatem cognoscat, & credat propter revelationem; ergo qui cognoscit Deum revelasse immortalitatem animæ revelatione essentialiter connexa cum ipsa immortalitate, potest non credere immortalitatem animæ propter divinam revelationem, sed illam affirmare propter evidentem demonstrationem, quam habet de immortalitate animæ.

25. Ad 6. distinguo maiorem; ideo Christus habet scientiam beatam, infusam, & acquisitam, quia debet obiecta non solum cognoscere per superiora, sed etiam per inferiora, & sensibilia, & nulla ex his scientijs admittitur à natura solum in supplementum alterius, concedo; & aliqua admittitur solum in supplementum alterius, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Possunt coniungi cognitiones, quarum nulla admittitur solum in supplementum alterius, licet vna sit perfectior altera; at non possunt coniungi cognitiones, quarum vna ex suo genere admittitur solum in supplementum alterius. Cognitio sensitiva, imaginativa, intellectiva, discursiva à priori, & per causam, vel à posteriori per effectum, per superiora descendendo, vel per inferiora ascendendo, sunt plures modi cognoscendi naturales homini, sed ita, vt nullus eorum admittatur solum in supplementum alterius; ergo non est mirum, quod etiam circa idem obiectum materiale possint naturaliter coniungi. A fortiori possunt isti modi naturales cognoscendi coniungi cum modis cognoscendi

supernaturalibus, per quos homo elevatur ad cognoscenda obiecta modo divino per scientiam beatam in divina essentia, vel modo angelico per scientiam per se infusam. Nam modi naturales cognoscendi non admittuntur solum in supplementum cognitionum supernaturalium; & sicut gratia naturam non destruit, sed perficit, sic supernaturalis modi cognoscendi non destrunt, sed potius perficiunt modos naturales cognoscendi. At fides, qua credimus aliquid propter testimonium alienum, ex suo genere admittitur à natura solum in supplementum cognitionis, quæ illud cognoscimus per nos ipsos, vt probetur est in primo fundamento; ergo fides non potest coniungi cum cognitione evidenti eiusdem obiecti materialis. Confirmatur solutio, & retorquetur argumentum. Nam licet in Christo cum scientia beata, & infusa, datur simul scientia acquisita, tamen non datur fides; ergo signum est, quod licet scientia acquisita, & imperfecta possit coniungi cum scientia beata, quæ est perfectissima, tamen fides non potest coniungi cum scientia beata, & evidenti; aliouquin sicut in Christo datur scientia acquisita, sic deberet etiam dari fides.

26. Ad 7. distinguo maiorem: *Accedentem ad Deum oportet credere, quod Deus est, & quod remunerator est*, remuneratione purè naturali, nego; remuneratione supernaturali, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Apostolus verbis citatis loquitur de necessitate fidei, quam definiunt rat; sed definiunt fidem, quæ est fundamentum spei, & consequenter charitatis; fides autem, quæ est fundamentum spei, est, qua creditur, Deum esse authorem supernaturalium, & esse remuneratorem præmio supernaturali; ergo dum dicit, *accedentem ad Deum oportet credere, quod Deus est, & quod remunerator est*, significat per fidem credendum esse Deum esse authorem supernaturalium, ac remuneratorem præmio supernaturali; sed quod Deus sit author supernaturalium, & remunerator præmio supernaturali, non est evidens lumine naturæ, sed est obcurum; ergo quod ab Apostolo proponitur vt credendum, non est evidens, sed obcurum.

27. Dum opponitur, quod de divina existentia haberent maiorem certitudinem simplices, quam docti, nego sequelam; nam docti habent de divina existentia, licet non eodem tempore, vtramque certitudinem, scientiæ nimirum, & fidei. Cum igitur divina existentia ita illis proponitur per demonstrationem, vt conuincantur, & necessitentur ad illam affirmandam sine vlla dubitatione, tunc de illa habent in actu secundo solum certitudinem, & evidentiam scientiæ inferioris certitudine fidei; cum autem divina existentia ita illis proponitur, vt possint de ea imprudenter dubitare, vt cum David in persona pueri

horum dicebat: *Mei autem pendenti sunt pedes, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* psal. 72. tum habent de diuina existentia certitudinem fidei maiorem certitudine scientiæ; ergo absolute docti sunt melioris conditionis, quam simplices, & indocti: nam de existentia Dei habent, licet non pro eodem tempore, veramque certitudinem, fidei nimirum coniunctam eum obscuritate, & scientiæ coniunctam cum existentia. Adde, quod sapientes de diuina existentia, in quantum includitur in hoc complexo obscuro, *Deus est remunerator premio supernaturali*, habent solam certitudinem fidei, non autem scientiæ.

28. Ad 8. Si S. Paulus vidit essentiam Dei, & retinebat memoriam eorum, quæ viderat, non poterat illa credere per fidem, sed illis assentiebatur per lumen supernaturale multo perfectius, hoc est per memoriam de visione Dei. Quod autem eorum, quæ nos vidisse recordamur, non detur, fides, docet expressè Augustinus Epist. 112. cap. 2. vbi cum dixisset ea solum credi, quæ absunt à sensibus nostris externis, & internis, addit, quod etiam ea, quæ nos aliquo sensu interno, vel externo vidisse recordamur, non credimus, dicens. *Nec quia dixi ea credi, quæ absunt à sensibus nostris, se accipiatur, ut inter ea deputentur, quæ aliquando vidimus, & nos vidisse retinemus, certique sumus, quamuis tunc non præsto sint, cum recoluntur nobis. Neque enim inter credita, sed inter visa deputantur, & ideo nota sunt, non quia fidem adhibemus alijs rebus, sed quia nos vidisse sine dubio recordamur, & scimus.* Adde, quod licet Paulus non posset credere quæ recordabatur se vidisse in essentia diuina, potuisset tamen credere quæ in essentia diuina non viderat, vel non recordabatur se vidisse.

QVÆSTIO CXXXIV.

Utrum cum actu fidei possit coniungi actus opinionis circa idem obiectum materiale totale, vel parziale?

1. Videtur, quod possit: primò quia cum possunt coniungi duæ causæ adæquatæ duorum effectuum, possunt etiam coniungi tales effectus; sed cum causa adæquata actus fidei potest in intellectu coniungi causa adæquata actus opinionis circa idem obiectum materiale totale; ergo actus fidei potest coniungi cum actu opinionis circa idem obiectum materiale totale. Probat minor: nam syllogismus constans ex his præmissis fidei: *Deus est veritas infallibilis, adeoque quicquid dicit est verum; Deus dicit mundum non fuisse ab æterno*, est causa adæquata actus fidei, quo credimus mundum non fuisse ab æterno: syllogismus constans ex his præmissis probabilibus, quod dicunt sapientes plerumque est verum: *multi sapientes dixerunt, mundum non fuisse ab æterno*, est causa adæquata actus opinionis, quo opinemur

mundum non fuisse ab æterno; sed illi duo syllogismi possunt coniungi in eodem intellectu; ergo &c.

2. Secundò cum imperfectus est dispositio ad perfectum, potest coniungi cum perfecto: ex. gr. quia prima apprehensio est cognitio imperfecta disponens ad iudiciū, quod est cognitio perfecta, prima apprehensio potest coniungi cum iudicio; sed actus fidei humanæ, quo credimus veram esse nostram religionem propter authoritatem humanam Ecclesiæ, in quantum est communitas humana, & propter motiua credibilitatis, est dispositio ad actum fidei diuinæ, quo credimus veritatem nostræ religionis propter authoritatem diuinam, ut dictum est quæstione 119. in responsione ad 3. quæsitum; ergo actus fidei humanæ potest coniungi cum actu fidei diuinæ circa idem obiectum materiale, hoc est circa veritatem nostræ religionis: sed actus fidei humanæ, cum nitatur motiua fallibili, est opinatiuus; ergo actus opinatiuus potest coniungi cum actu fidei diuinæ circa idem obiectum materiale.

3. Tertio eatenus actus opinionis non posset coniungi cum actu fidei diuinæ circa idem obiectum materiale, quatenus actus opinionis non posset dari sine actuali dubitatione, & formidine circa suum obiectum materiale, actus autem fidei excluderet essentialiter actualem dubitationem, & formidinem circa suum obiectum materiale; sed actus opinionis potest dari sine actuali dubitatione, & formidine circa suum obiectum materiale; ergo &c. Probat minor: nam actus opinionis differt ab actu scientiæ per hoc solū, quod actus scientiæ excludit formidinem, actus opinionis formidinem non excludit, eo pacto, quo peccatum mortale, & veniale differunt per hoc, quod peccatum mortale excludit gratiam, veniale non excludit gratiam; sed peccatum veniale non excludens gratiam potest coniungi cum peccato mortali excludente gratiam; ergo actus opinionis non excludens dubitationem, & formidinem, potest coniungi cum actu fidei, vel scientiæ, excludente dubitationem, & formidinem. Quod autem actus opinionis non solum non excludat formidinem, sed illam includat, & trahat essentialiter, vel saltem naturaliter, gratis assumitur, & non probatur.

4. Quarto Mathematicus cum paralogizans existimat se demonstrasse aliquam propositionem, quam verè non demonstrauit, assentitur illi propositioni sine vlla dubitatione, & formidine; sed assentitur per actum opinionis, præsertim si propositio illa sit falsa; nam propositioni falsæ non possumus assentiri per alium actum, quam opinionis; ergo dari potest actus opinionis sine actuali formidine, ac proinde potest coniungi cum actu fidei.

5. Quintò si actus opinionis non posset dari sine actuali formidine, & dubitatione,